



## The Holy See

---

IOANNES PAULUS PP. II LITTERAE APOSTOLICAE **AD FIRMIORES** IN REPUBLICA SLOVACHA NUNTIATURA  
APOSTOLICA CONDITUR Ad perpetuam rei memoriam. – Ad firmiores reddendas necessitudinis rationes nuper feliciter  
initas inter hanc Apostolicam Sedem et Rempublicam Slovacham et ad aptius providendum catholicae Ecclesiae regimini  
atque spirituali bono Christifidelium illic degentium, Nobis per opportunum videtur ibidem Apostolicam Nuntiaturam  
condere. Summa igitur Nostra potestate harumque Litterarum virtute in Republica Slovaca Nuntiaturam Apostolicam  
constituimus, quae sedem habebit in urbe Bratislavia, factis omnibus iuribus, privilegiis et indultis, quae huiusmodi  
Legationum propria sunt ad normam canonum 362-367 Codicis Iuris Canonici. Has Litteras, in forma Brevis Maioris  
expeditas, nunc et in posterum ratas esse volumus, contrariis quibuslibet rebus non obstantibus. *Datum Romae, apud  
Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die I mensis Ianuarii, anno MCMXCIII, Pontificatus Nostri quinto  
decimo.* ANGELUS card. SODANO

*Secretarius Status © Copyright 1993 - Libreria Editrice Vaticana*

---

Copyright © Dicastero per la Comunicazione - Libreria Editrice Vaticana